

quam necessarium *aliquod prerequisite*. Fertur tamen nihilominus adpetitus non præcisè in boni cognitionem, sed in bonum ipsum. Hinc Arriaga disp. phys. 8. sect. 5. bonum ipsum vocat rationem causandi *ut quod*; cognitionem rationem causandi *ut quò*; hòc monitò additò, quod cognitio sit tantùm pura conditio, non autem ratio formalis motiva: *est enim, inquit, cognitio boni dem quò ad approximationem agentis ad patiens, qua est pura conditio.* Huic sententiæ sese opponit Mendoza disp. 13. de animâ sect. 6. §. 36. qui statuit, *cognitionem non esse tantùm puram conditionem, sed simul principium movens & impellens voluntatem ad amorem & desiderium finis.* Probat hoc, quia ex præcisâ variatione, cognitionis variatur etiam adpetitus circa objectum, & prout cognitio vel perfectior vel imperfectior est, ita etiam perfectius & imperfectius amatur objectum, sic v. gr. visio beatifica, quæ est perfectissima & clara Dei cognitio necessariò rapit voluntatem in amorem Dei Ter Opt. Ter Max. eamq; ita detinet, ut ab actu amoris nunquam cessare aut deficere possit: contra cognitio fidei, quæ abstractiva & imperfecta est, imperfectè etiam voluntatem movet. Hæc igitur diversitas, inquit Mendoza, non potest esse ab objectò, quia hoc semper manet idem, quòcunque modò cognoscatur; erit igitur utique ex diversâ cognitione boni, atque sic illa non erit pura conditio; sed simul ratio movens & impellens adpetitum; conditio enim sine quâ non non variare potest effectum.

§. At enim verò negatum imus, quod conditio sine quâ non ipsum effectum variare non possit, quò enim major est ad approximationem agentis ad patiens in causis physicis, eò perfectius & intensius illæ operantur, ad approximationem autem esse conditionem sine quâ non, nemo, nisi planè à bonâ mente absit, negabit. Rei major lux ab aliò exemplò est adcersenda. Carentia contrarij non est causa operans, sed pura conditio, uti quilibet concedet, causas tamen citius & intentius operari, si patiens careat contrariò, quam si contrarium habeat, extra dubitationis aleam positum est. Eundem in modum res sese habet cum ad approximationem *intentionali*, cum enim objectum magis & minus clarè proponi voluntati possit; inde est, ut ex majori cognitione solùm, tanquam ex meliori ad approximationem s. conditione magis objectum ipsum attrahat. Et si igitur objectum semper idem sit & maneat, adeoque in ipsò non adcedat nova quædam bonitas, in ordine tamen ad nos quasi adparet nova bonitas, quia eam cognoscimus nunc, quam antea ignorabamus.

§. Cæterùm dictum fuit, quòd ratio causandi in fine sit bonum cognitum *sub ratione boni*: nam licet etiam mala, v. gr. furta, supra, voluptates corporis illicitæ multoties adpetantur, atque sic rationem finis habeant, sit tamen hoc non sub ratione mali, sed quatenus bona videntur & adparent, etiamsi reverà talia non sint, atque sic nihil potest habere rationem finis sub ratione mali, seu quatenus malum est, quantumvis res mala possit esse finis. Neque melius hoc probari potest, quam experientiâ & inductione, cum quilibet & secum experiatur, nihil se velle & neminem alium aliquid velle videat, nisi interveniente aliqua ratione boni. Sic qui stuprò delectatur, non ut malo & inhonesto delectatur, sed quatenus cum jucundissimum sibi sit, etiam optimum esse judicat. Qui rapto

aut furto vivunt, lucrum respiciunt. Qui manus violentas sibi interunt, existimant se per hoc effugere calamitates hujus vitæ, atque majus bonum consequi. Quicquid igitur volumus, illud sub ratione boni volumus, si non boni moralis aut honesti, tamen physicè boni aut jucundi; si non veri, tamen adparentis seu ejus, quod mentitur speciem boni.

§. Hic quæstio abstrusa inter Doctores Metaphysicos agitari adsolet, an scilicet finis moveat quoad esse reale, ad verò quoad esse cognitum? Quod ad omnem finem requiratur, ut sit cognitum, extra dubitationis aleam positum est: An verò requiratur, ut secundum hoc esse cognitum moveat, an verò quoad esse reale, ita ut esse cognitum habeat se saltim per modum causæ sine qua non, disceptatur inter Autores. Paulus Soncinas 4. Metaph. qv. 3. censet finem movere secundum esse cognitum. Sed judicant rectius Capreolus, Javellus & alii, quod finis moveat secundum esse reale, idque sequenti ratiocinio evinci poterit:

Secundum quod esse finis est conveniens, secundum illud est causa: Secundum esse reale est conveniens. E. secundum illud esse est causa.

Major vix prolixiori indiget probatione, quia convenientia & bonitas est ratio causandi finis: Minor elucescit, quia nempe sanitas est coveniens homini ægrotanti non quoad esse cognitum, seu secundum hoc, quod fuit ab ipso cognita, sed quoad esse suum reale, secundum quod etiã intenditur & adpetitur. Nec obstat, quod finis interdum esse reale non habeat, quando ejus gratiâ aliquid esse vel fieri dicitur, hoc enim non requiritur, aliud enim est *finem esse ens reale*, aliud verò *finem esse causam quoad esse reale*. Prius illud quandoque falsum est, posterius verum; & dicitur finis causa quoad esse reale, nò quod tunc, quando intenditur, semper habeat esse reale, sed quia secundum esse reale intenditur, ut scilicet secundum hoc producat vel obtineatur. Dicis: Finis non habet esse reale dum movet, quomodo ergò secundum illud movere potest? Resp. Non habet esse reale præsens, & ita secundum illud non semper movet, movet nihilominus secundum esse reale futurum, vel quod adhuc in potentiâ est, ut illud obtineatur vel adquiratur. Quin imò adquisito fine adhuc causa efficiens movetur non ad finem adquirendum, sed ad finis adquisiti delectationem, hinc causatur gaudium & delectatio, quæ non possunt causari à fine quoad esse cognitum, sed necessariò causantur à fine quoad esse reale.

(2.) Dicendum est de eo, in quonam consistat causalitas causæ finalis, quæ est id, per quod finis est actu causa finalis, & solet aliàs barbaro vocabulo dici *Finalisatio*. Communis autem ferè sententia est, causalitatem finis in rebus cognoscendi vi præditis esse motionem Metaphoricam, quæ, dicitur Metaphorica, non quod causalitas non sit vera ac propriè dicta causalitas, sed in ordine ad causam efficientem, quæ nunc etiam movet motu ac influxu Physicò & realiter productivò, sicut scriptor, quatenus calamum ad exarandas literas, & faber tignarius, dum ad tigna ædificiò adaptanda ferram vel asciam aut simile instrumentum movet; idcirco finis, qui physicè in effectum h. m. non influit, Metaphoricè movere dicitur.

§. Quid autem per motionem hanc Metaphoricam propriè sit intelligendum, inter sese controversant Autores. Quidam motionem hanc Metaphoricam

cam.